





Aus priv. Sam. 266<sup>nd</sup>.



12  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

PERICVLO REI VENDI-  
TÆ ANTE RESIGNATIONEM  
ET IN VESTITVRAM IVDICIALEM  
IVR. SAX. EL. AD DOMINIVM TRANSFEREN-  
DVM NECESSARIAM IN EMTOREM  
TRANSEVNTTE,

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ERFVRTHENSI  
CONSENSV,


SVB MODERAMINE

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

ICTI, COM. PALAT. CÆS. IVRID. FACVLT. ASSESSORIS ET COD. P. P. ORD.  
NEC NON CIVITAT. SYNDICI ET CONSVLIS,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES AC PRIVILE-  
GIA RITE CAPESSENDI,

 PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

AVTOR

GEORGIVS CHRISTIANVS  
RVDINGERVS,

*Leucop. Misn.*

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI HOR. CONSVET.  
DIE XXIV. APRILIS M DCC XXX.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

*Handwritten notes:*  
Sax. Jur. Sax. Fac. II. / Sax. 17. 20. 17. 2181. 2

*Handwritten initials:* BA







V I R O

PRÆNOBILISSIMO AMPLISSIMO CONSVLTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

GEORG. CHRISTIANO  
RVDINGERO,

SERENISS. DVCIS SAXO-QUERFVRTENSIS ET  
ISENACENSIS CONSILIARIO, NEC NON REGIMINIS,  
CONSISTORII, ET PRÆFECTVRÆ, QVÆ LEVCO-  
PETVÆ VIGET, ADVOCATO ORDI-  
NARIO,

PARENTI NVTRITORIQVE  
OMNI FILIALI AC RELIGIOSO

OBSEQVII  
CVLTV MACTANDO,



HOC  
QVALECVNQVE SPECIMEN INAUGVRALE  
PRO  
BENEFICIIS PLVSQVAM PATERNIS  
IN SE COLLATIS  
INTER  
ARDENTES PERPETVÆ ET OMNIGENÆ  
FELICITATIS ADPRECATIONES

SACRVM ESSE CVPIT

AVTOR

GEORGIVS CHRISTIANVS RVDINGERVS.





J. N. J.

§. I.



Atis cognitum atque perspectum est, multas jam dissertationum materias extare, quarum abundantia cogitationes atque meditationes meæ varias in partes sunt distractæ, quale loco dissertationis inauguralis eligerem Thema. Mihi titubanti thesis aliqua ex *Tit. de Peric. & Commod. rei vend.* & quidem an periculum rei venditæ ante resignationem & investituram judicialem, *Jur. Sax. Elect.* ad dominium transferendum necessariam, in emtorem transeat, in mentem venit: Esto itaque hocce Thema vice dissertationis inauguralis, quam conscribendam in me suscepi. Deum itaque T.O.M. ut omnia prospere succedant supplex veneror.

§. II.

Periculum & commodum rei venditæ, emtione  
A 2 ven-



venditione perfecta, licet traditio nondum subsecuta fuerit, ad emptorem spectare, nemo facile cum fundamento in dubium vocabit. §. 3. *J. de contrab. emt. l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. l. 8. l. 11. ff. de contrab. emt.* Quod si itaque res vendita furto ablata vel incendio deleta sit, venditori nihilominus integrum ab emptore pretium est præstandum. Recipit autem thesis nostra, si res ex præcedente vitio perierit, suam limitationem & periculum rei venditæ in venditorem transfert *l. f. C. eod.* Res autem vendita ex præcedente vitio periisse præsumitur, quando ea post venditionem intra triduum decedit. vid. MOLLENB. *Thesaur. J. Civ. lib. 18. tit. 6. not. 21.* Multum vero interest nosse ob transiens, emptio- ne venditione perfecta, in emptorem periculum, quo tempore *Contractus emt. vendit.* ad suam perfectionem pervenisse dicatur. Emptio itaque venditio perfecta esse dicitur, quando purus consensus in rem & pretium interpositus est, i. e. ubi constat, quæ res vendi, & quid pro re vendita solvi debeat. *l. 8. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Dependet autem perfectio contractus empti venditi non solum ex consensu in rem, sed etiam ex consensu in pretium. Pretium itaque debet esse certum, vel per se, vel per relationem ad præteritum, præsens *l. 7. §. 1. ff. de contrab. emt.* futurumve, adeo, ut, si pretium incertum sit, periculum in venditorem transeat. MENK. *Synops. Pand. l. 18. tit. 1.*

§. III.

Explorati autem juris est, quod pretii determinatio in arbitrium alicujus contrahentium conferri nequeat. *l. 72. ff. de contrab. emt.* ideoque etiam sequitur peri-



periculum rei venditæ, pretii determinatione in arbitrium alicujus ex contrahentibus collata, ad emptorem non spectare. Quid autem sentiendum est de eo casu, si pretii determinatio arbitrio tertii certi relicta sit, quod omni jure fieri potest. *a. l. 76. 79. ff. pro soc. F. l. 7. §. f. ff. de contrab. emt.* & antequam pretium determinatum fuerit, res vendita incendio delecta sit? Ego statuendum esse judico, quod periculum rei venditæ, pretii determinatione arbitrio tertii certi relicta, in venditorem transeat, ex ea ratione, quia hæc emptio, usquedum pretium determinatum fuerit, conditionalis est. *§. 1. F. de contrab. emt.* Quodsi itaque periculum rei venditæ, pretii determinatione in arbitrium tertii certi collata, in venditorem transeat, itaque multo magis periculum rei venditæ, pretii determinatione arbitrio tertii incerti relicta, ad emptorem redundat, quippe ista relatio ob vagam incertitudinem est inutilis *l. 75. ff. loc. l. f. C. de contrab. emt.*

§. IV.

Requiritur porro, ut pretium, quo merx æstimatur, consistat in pecunia numerata *§. 2. F. b.* Quod si itaque res cum pecunia loco pretii pro revendita data fuerit, contractus ex emtione & permutatione mixtus videtur. *a. c. 6. X. de rerum permut.* Multum autem interest nosse obtransiens in emtione, consensu in rem & pretium interposito, in emptorem periculum, quid inter contrahentes actum sit, utrum ut emptio, an vero ut permutatio esset *§. 3. F. de emt. vendit.* Quodsi ergo ex verbis contractus cognosci non possit aut aliunde non appareat quid actum sit, a potiore sivere sive pecunia



cunia emtio aut permutatio dijudicanda est. *a. l. 6. C. de Pact. int. emt. & vendit. l. 10. ff. de stat. hom.* Præsuppositis itaque hisce, sequitur, si pecunia rei prævaleat, periculum statim post consensum in rem & pretium in emtorem transire. E contra vero, si res pecuniæ prævaleat, periculum rei venditæ ad emtorem non, nisi accesserit traditio, & præter traditionem Jur. Sax. El. resignatio & investitura judicialis, spectare in aprico est. An autem periculum rei venditæ, quando res & pecunia est æqualis in emtorem transeat, haud incongrue quæritur, & mihi affirmativa sententia amplectenda esse videtur, ex ea ratione, quia partes si nimirum res & pecunia sit æqualis contractum frequentiore, firmiorem & naturaliter ex consensu obligationem inducentem sc. emtionem venditionem celebrasse præsumuntur ita *resp. F. J. L. M. J. 1703. j. l. 9. C. de resc. vend. MENK. Synops. ff. ad tit. 1. lib. 18. BERG. resolut. LL. obst. p. 277.*

## §. V.

Aliquando autem emtioni venditioni pactum de retro vendendo adjicitur, quo pacto adjecto translatio dominii non impeditur. *l. 7. C. de Pact. int. emt. & vendit.* sed omne commodum atque incommodum in emtorem transfertur. Præsuppositis itaque præsupponendis sequitur etiam quod emtor, v. g. sylva sub pacto retrovenditionis vendita, æstimationem arborum, vento dejectarum, novo emtori sive venditori primo restituere non teneatur, modo sylva eo pretio quo emta est, quod in dubio præsumitur, revendatur. Nulla enim mora nullaque culpa emtori sive rivenditori im-

pu-



putari potest, quod arbores turbine sint dejectæ, nec per eum stet, quo minus res in eodem statu præstetur. Ergo etiam emtor, ut æstimationem arborum turbine dejectarum emtori novo restituat, compelli nequit. Quod si vero sylva eo pretio quo nunc, cum redimitur, vendi potest, sit revendenda, tunc statuendum esse iudico, quod emtor pretium dejectarum arborum venditori restituere teneatur. Communis enim est Dd. schola, venditorem, si augmentum, quod e.g. per alluvionem contingit, ab emtore petat, illius æstimationem præstare obstrictum esse *CARBZ. P. 2. C. 1. d. 18. STRUV. Exec. 13. th. 45.* ideoque etiam mihi a contrario argumentari licebit, quod, si venditor augmenti æstimationem emtori præstare obstrictus sit, emtor etiam damnum e.g. quando arbores turbine sunt dejectæ, resarcire debeat. Versamur enim in negotio b. f., ubi omnia præstanda veniunt, quæ æquitas postulat, cui accedit, quod nemo cum alterius damno sit locupletandus. *l. 14. ff. de condict. in deb. al. 23. pr. de æsil. Edict.* Deinde etiam considerandum est, quod emtor magnum ex consumptione arborum dejectarum persentiscat commodum, ideoque etiam damnum, i. e. restitutionem arborum dejectarum ferre tenetur, quem enim sequuntur commoda, sequuntur etiam incommoda *l. 10. ff. de R. j.* nec dici potest quod emtor ante oblationem pretii sit debitor certæ speciei, propterea, quod hocce debitum incipiat demum a tempore oblationis pretii *l. 2. C. de Pact. int. emt. & vend.* *HORN. diff. de arbor. turb. deject.*

B

§. VI.



## §. VI.

Quid autem juris, si emptio sylvæ intuitu arborum celebrata sit, & arbores antequam venditio ad suam perfectionem perveniat, turbine dejectæ sint. Resp. omnis res eo redit, ut distinguamus, utrum partes vel alteruter casum sciverint, an vero ignoraverint. Præsupponamus itaque quod uterque casum sciverit, quo casu, cum negotium, quod ex dolo utriusque partis proficiscitur, subsistere nequeat, emptio plane nulla est, & dolus inter emptorem & venditorem compensatur. *d. l. 57. §. ult. ff. de contrab. emt.* ideoque si quid eo nomine fuerit solutum, istud conditione indebiti repeti potest. *d. l. 57. pr. ff. eod.* Quodsi vero stragem istam uterque ignoraverit, tunc nulla quoque contracta esse videtur venditio *l. 58. ff. eod.* ideoque si quid eo nomine fuerit solutum, pariter istud conditione indebiti repeti potest. *d. l. 57. pr. ff. eod.* Hæc tamen omnia ita sunt intelligenda, ut, si minima pars sylvæ prostrata fuerit, venditio quidem subsistat, & tantum de pretio remittatur, quanto minoris, cognita arborum dejectione, venditio sylvæ celebrata fuisset. *d. l. 57. pr. ff. eod.* Quodsi vero venditor, ignorante emptore, dejectionem arborum sciverit, siquidem tota sylva prostrata fuerit, partes venditioni stare haud tenentur, si vero quancunque pars remaneat, subsistit quidem venditio, nihilominus tamen venditor emptori ad interesse præstandum tenetur. *d. l. 57. §. 3. ff. eod.* E contrario vero, si emptor, venditore ignorante, notitiam de casu habuerit, venditio subsistit, & integrum ab emptore pretium venditori

ditori



ditori est præstandum. *d. l. 57. §. 2. ff. eod. vid. HORN. Diff. de arbor. turb. deject.*

§. VII.

illeg. Venditor impensas utiles, in rem, sub pacto retro-  
venditionis venditam, erogatas, emtori restituere tene-  
tur. Emtor enim, qui damnum e. g. incendio datum  
sentit, ad nihil aliud, quam ut rem in eo statu, quo post  
conflagrationem est, venditori præstet, neutiquam ve-  
ro ad rem reædificandam obligatur. *a. l. 5. §. 2. de resc. vend.*  
Quodsi itaque domus sub pacto retrovenditio-  
nis vendita, incendio deleatur & emtor illam impensis  
suis reædificet, rectæ rationi consentaneum esse vide-  
tur, quod venditor reluens impensas, in reædificatio-  
nem factas, emtori restituere teneatur, ex ea ratione  
quia sumtus, qui in reædificationem domus, incendio  
deletæ, erogati sunt, non necessarii, sed utiles sunt, qui-  
bus res melior utiliorque redditur, hos, non vero illos  
venditor reluens emtori restituere tenetur. Nec ob-  
stat, quod venditor reluens impensas, in processu de  
re vendita motos, erogatas & tributa, quæ tempore  
belli ad avertendam vastationem solvuntur, restituere  
haud obstrictus sit *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. de usufr. l. 7. de pu-  
blican.* Simplici enim usufructuario rem suis sumti-  
bus sartam tectam conservare, omniaque onera, tam  
ordinaria, quam extraordinaria, inter quæ etiam belli-  
ca tributa referuntur, de proprio solvere incumbit *l. 7.  
§. 2. l. 27. §. 3. de usufr.* Itaque multo magis emtor, qui  
plenum dominium, licet revocabile habet, omnesque  
ex illa fructus percipit, tamdiu ad rem sartam tectam  
præstandam tenetur, quam diu illa non redimitur, quem  
B 2 enim



enim sequuntur commoda, sequuntur etiam incommoda *l. 10. ff. de R. Jur.* & denique etiam considerandum est, quod ejusmodi sumtus non utiles sed necessarii sint, ad quos restituendos venditor reluens compelli nequit. vid. MARTINI *Dissert. de Pacto retrovend.*

§. VIII.

Notissimi autem juris est, quod si una eademque res duobus vendatur posteriori vero tradatur, priori sit præferendus posterior *l. 15. C. de rei vind.* ex ea ratione, quia posterior, cui traditio facta est, fortius atque pinguius jus, quam prior, qui saltem actionem ad interesse adversus venditorem habet, *l. 4. C. de act. emt. vend.* consequutus est. Hisce itaque præsuppositis, sequitur periculum rei venditæ, quæ duobus vendita, posteriori vero tradita est, non ad priorem, sed posteriorem emtorem spectare. Quod si vero neque priori neque posteriori res vendita tradita sit, tunc periculum pertinet ad priorem. Prior enim emtor venditorem ad rem tradendam, posteriore licet invito, compellere potest, quæ facultas posteriori emtori non competit. Quid autem sentiendum est de eo casu, quando res vendita, de qua emtori lis e. g. propter jus protimiseos movetur, incendio e. g. consumitur. Et mihi statuendum esse videtur, quod periculum rei venditæ, de qua lis emtori mota est, in emtorem transeat. Hoc enim in processu agitur de venditione dissolvenda. Ergo antequam dissolvatur, plenum venditionis effectum habet, & sic quoque emtor periculum rei venditæ, tamdiu de illa litigatur, ferre tenetur. MOLLENB, *Thesaur. J. civ.*

ad



*ad Tit. de peric. & commod. rei vend. in not. 8. & 9. BERG. resolut. LL. obst. p. 767.*

## §. IX.

Satis autem cognitum atque perspectum est, quod venditor, quando versatur in mora vel culpa, emtorem a periculo rei venditæ immunem efficiat. Mora enim, quæ vel per veram, e. g. per litis contestationem vel fictam interpellationem, v. c. quando dies, obligationi adjectus, interpellat pro homine, contrahitur, periculum rei venditæ transfert in debitorem morosum *l. 20. ff. de V. O. l. 12. §. f. ff. de pos.* Præsuppositis itaque hisce, sequitur etiam, periculum rei venditæ, venditore ante litem contestatam, vel antequam dies, traditioni destinatus, elapsus fuerit, rem venditam non tradente, ad emtorem haud redundare. Missis itaque hisce, transgressus quoque ad culpam, quæ periculum in culpam admittentem transfert *l. 11. §. 1. ff. loc. l. 1. C. de pos. l. 73. in f. ff. de R. J. faciendus est.* Præsupponamus itaque, quod venditor culpam, ad quam adstrictus est, non præstet, tunc emtor a periculo rei venditæ liberatur. *d. l. 11. §. 1. ff. loc. l. 1. C. de pos. l. 23. in f. ff. de R. J. ex ea ratione quia factum cuique suum non adversario nocere debet. l. 155. ff. de R. J. vid. MENK. Theor. & Prax. ff. ad Tit. de usur. & fruct. it. ad Tit. de commod.*

## §. X.

In paragrapho præcedente mihi sermo fuit de mora ejusque effectu, nunc mihi etiam de eo, quod iudex in condemnando debitore moroso observare tenetur, verba facere lubet. In condemnando itaque debitore moroso iudex hancce limitationem observare debet,



nimirum, utrum res etiamsi restituta esset æque apud dominum quam possessorem peritura fuisset. Quodsi itaque reus hancce exceptionem, quæ ex æquitate admittitur, actori objiciat, eamque legitimo modo deducat, reus a periculo immunis efficitur, & ab instituta actione absolvitur. *l. 13. §. ult. ff. de pos. l. 56. ff. de jure dot.* Huic autem exceptioni locus saltem relinquatur in vindicatione & condictione ex contractu, neutiquam vero in condictione ex delicto *l. 1. C. quod met. caus. l. 14. §. 11. ff. eod.* STRYCK. *Diss. immunit Dni a peric. c. 2. n. 59.*

## §. XI.

Casum fortuitum nullo in contractu præstari, sed omni tempore rem suo domino perire decantatissima est regula. *l. 20. ff. de R. J. j. l. 23. ff. de V. O.* Quemadmodum vero nulla regula sine exceptione, ita quoque hæc non sine exceptione, sed ita intelligenda est, nisi culpa vel mora præcesserit, aut quis casum pacto in se susceperit. Quodsi itaque venditor post perfectionem contractus emt. vend. casum fortuitum præstare pacto se obstrinxerit, emtor periculum rei venditæ sustinere non tenetur. *l. 5. §. ult. ff. commod. l. 9. §. 2. ff. locat. l. 3. ff. de R. J. vid. B. MENK. Theor. & Prax. ff. ad Tit. de commod.*

## §. XII.

Sæpe numero autem accidit, ut ex incuria & imperitia hominum illis, quæ specialiter notari debuissent, generalissimis renunciatur verbis. e. g. *Als will ich allen mir darwider zustehenden exceptionibus hiermit renunciiret haben,* qua de renunciatione postea renunciens uberrimam excipiendi facultatem nanciscitur.

tur.



tur. Exemplum habemus in fidejussore, qui, etiamsi beneficiis, sibi competentibus, generali se abdicaverit renunciatione, nihilominus beneficio ordinis, divisionis, nec non eedendarum actionum uti potest. Hic enim non generalis sed specialis requiritur renunciatio, siquidem ea, quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, quasi neglecta videntur *a. l. 29. C. de pact. j. l. 15. §. 26. ff. de inj.* Hæc omnia tamen me movere non debent, quo minus eorum arriperem sententiam, qui volunt, ut, si quis periculum casumque rei alienæ in se suscipiat, singulorum enumeratio casuum haud necessaria sit, sed generalis sufficeret conventio. Nulla enim lex, in qua mentio hujus pacti facta est, singulos exprimi casus jubet. *l. 7. §. 15. ff. de Pact. j. l. 39. ff. mandat.* ideoque, quia specialia generalibus semper insunt, injuriam fecisse non videor, quod eorum sim sequutus sententiam. Nec eorum approbanda est sententia, hanc conventionem non ad casus insolitos multo minus ad insolitissimos extendi posse. Quemadmodum vero casus solitus dici non potest sed omni tempore præter solitum ac opinionem nostram contingit, ita quoque distinctio inter solitum atque insolitum non attendenda venit, sed is, qui casum fortuitum speciali conventionem in se suscepit, illum præstare tenetur. Idque eo magis procedit, cum nulla lege hæc distinctio inter solitum atque insolitum, de qua facta est mentio, probari possit, sed potius contrarium *l. 78. §. 3. de contrah. emt. l. 9. §. 2. ff. locat. l. 39. ff. mand. l. 1. C. commod. l. 1. C. depos.* evincunt. Pacta enim dant legem contractui *l. 1. §. 6. ff. de pos. l. 23. ff. de R. I. & jura quæ simpliciter*  
& in-



& indistincte loquuntur, absque distinctione sunt intelligenda *l. 8. ff. de publ. in rem act.* Lubenter tamen largior secundum quorundam in Praxi receptam sententiam, casus rarissimos hacce conventionem exceptos esse. *CARPZ. P. 2. C. 26. d. 8. C. 37. d. 17. STRYK. diff. de immunit. Dom. a peric.*

## §. XIII.

Extra omnem dubitationis aleam positum est, quin res pupillares minorumque, quæ servando servari possunt, alienationem, sub qua omnes actus, quibus dominium, vel aliud jus in re in alium transfertur, comprehenduntur, respuant, adeo, ut alienatio, nisi sub certa fiat forma, sc. ita ut præter auctoritatem & consensum tutoris vel Curatoris 1) justa & necessaria causa. 2) Causæ cognitio. 3) Decretum judicis & 4) Subhastatio, quæ tamen magis consuetudine fori quam jure civ. innititur, intercedat, ipso jure nulla dicatur *l. 10. l. 11. l. 15. l. 16. C. de præd. & alien. reb.* Quod si itaque res pupillorum minorumque absque recensitis solennitatibus alienatæ sint, dominium illarum non transit in emptorem, sed remanet in pupillo tanquam venditore, ideoque etiam omnibus dominii effectibus adhuc fruitur, cum paria sint, aliquid non esse factum, aut nulliter esse factum. Mihi itaque haud abs re esse videtur, si hancce instituamus quæstionem, in quemnam nimirum periculum rei, a tutore vel curatore absque debitis requisitis alienatæ, transeat? Et primo intuitu periculum rei à tutore vel Curatore absque debitis requisitis alienatæ, juxta vulgatam regulam, quælibet res perit suo domino; in pupillum transire videtur.

Ast



Ast enim vero contraria sententia mihi ex ea ratione, quia hæc prohibitio, quæ in favorem pupilli vel minoris introducta est, in illorum odium detorqueri non debet, *l. 6. C. de LL.*, verior videtur. *alleg. STRYK. diff. c. ult. n. 10. MENK. Theor. & Prax. ff. l. 27. Tit. 9. BERG. Oeconom. jur. p. 196.*

## §. XIV.

Mulieres jure Sax. El. destitutæ sunt facultate sua bona immobilia absque Curatoris consensu alienandi *P. 2. C. El. 15. j. Mand. Reg. de d. 18. Nov. 1722.* quæ facultas jure civ. illis haud adempta est *l. 3. l. 6. C. de revoc. donat.* Quodsi itaque in Sax. El. mulier sua bona immobilia absque consensu Curatoris alicui vendat, contractus vitio nullitatis laborat, & mulier rei venditæ domina naturalis adhuc remanet. Ex hisce itaque præmissis sequeretur periculum rei immobilis, a muliere absque Curatoris consensu venditæ, in mulierem transire, sed quoniam dominium mulieri ex jure singulari reservatur, & id quod in favorem quorundam constitutum est, ad læsionem eorum extendi non debet *l. 6. C. de LL.* Ergo non possum, non, quin negativæ adstipuler sententiæ, vid. *CARPZOV. P. 2. C. El. 15. d. 35. STRYK. alleg. diff. c. 4. n. 13.*

## §. XV.

Tale quoque judicium ferendum est, de eo casu, quando bona dotalia, quæ uxor absque mariti, cui ususfructus cum dominio civili competit. *Land-N. lib. 1. art. 31. 45. j. l. 27. ff. de legib.* consensu alienavit, pereunt. Quamvis enim uxor, bonis dotali-  
C
bus



bus absque mariti consensu alienatis, dominium naturale, maritus vero Civile retineat, nihilominus tamen hic considerandum est, quod hæc prohibitio, quæ in favorem mulieris constituta est, in illius odium non fit detorquenda, *L. 16. C. de LL. vid. CARPZ. P. 2. C. El. 15. d. 25.*

## §. XVI.

Plerumque autem venditores in securitatem pretii residui dominium rei venditæ, ut, si postea Concursus super bonis emtoris excitetur, de illo haud periclitentur, sibi reservare consueverunt. Mihi itaque haud abs re esse videtur, si instituamus quæstionem in quemnam nimirum periculum rei venditæ, de qua venditor usque ad totius pretii exsolutionem dominium rei venditæ sibi reservavit, transeat.

## §. XVII.

In diversis hic Dd. abeunt scholas; statuit enim Dn. CARPZOV., quem sequitur Dn. D. SCHILTER. & multi alii, quod interitus rei totalis, de qua venditor in securitatem pretii residui sibi reservavit dominium, non ad emtorem, sed venditorem spectet. Rationes autem potiores, quæ ad corroborandam hanc sententiam adducuntur, hæc sunt, I) enim hancce venditionem in qua venditor sibi reservavit dominium, puram esse negant, sed potius conditionalem esse fatentur, ex quibus ita argumentantur: Quæcunque venditio est conditionalis, in illa transit periculum sive interitus rei totalis in venditorem; atqui venditio, in  
qua



qua venditor sibi reservavit dominium, est conditionalis; Ergo transit periculum sive interitus rei totalis in venditorem. 2) Statuunt, quod emptor, si venditor usque ad totius pretii solutionem sibi reservaverit dominium rei venditæ, pro lubitu & quodocunque volet, dominium nancisci nequeat, sed pro nudo saltem possessore habeatur, adeoque periculum rei venditæ hoc casu in venditorem transeat, & denique 3) quia venditor, qui dominium, donec pretium solutum fuerit, sibi reservavit, rei venditæ dominus manet, regulam: quælibet res perit suo domino, hic obtinere contendunt, vid. CARPZ. *resp. libr. 1. resp. 108.*

§. XVIII.

Hæc omnia tamen, ut pace Dissentientium fiat, me movere non debent, quo minus contrariam arriperem sententiam. Nam si rationes, quas CARPZOVIVS ad firmandam suam sententiam adduxit, inspiciamus, statim cognoscimus, quod hæc parum aut nihil ad decidendam hancce controversiam conducant, ideoque potius rationes dubitandi, quam decidendi appellari mereantur. Venditio enim, in qua Venditor dominium rei venditæ, usque dum pretium exsolutum fuerit, sibi reservavit, non quoad perfectionem contractus emti vend. sed quo ad pretium non solum, ut CARPZOVIVS ipse fatetur, *vid. alleg. resp. pro* conditionali est habenda, adeoque, ut interitus rei totalis ad venditorem pertineat, requiritur conditio, quæ perfectionem venditionis, non ad implemen-

C 2

tum



tum sive consummationem contractus afficit atque minuit. Mihi itaque sequentem in modum in contrarium argumentari licet. Quæcunque conditio non afficit atque minuit perfectionem emtionis venditionis, illa etiam non efficit, ut interitus rei totalis sive periculum transeat in venditorem, atqui conditio, quæ in venditione, in qua venditor sibi usque ad totius pretii exsolutionem reservavit dominium, comprehensa est, non afficit atque minuit perfectionem, emtionis venditionis. Ergo interitus rei totalis sive periculum non transit in venditorem. Deinde etiam regulæ, quælibet res perit suo domino: Ab illust. JCto adductæ, ex sequentibus locus haud relinquendus est 1) enim Venditor certæ speciei debitor est, qui ejus interitu liberatur. *l. 22. 33. 83. §. 7. ff. ad L. falcid. l. 18. in f. ff. de dolo mal.* 2) Notum atque pernotum est, omne commodum atque incommodum, emtione venditione perfecta, i. e. consensu in rem & pretium interposito, in emtorem transire §. 3. *J. de emt. vend. l. 1. C. de periculo & commod. rei vend.*, quæ perfectio uti supra dixi, reservatione domini non impeditur. Dominium enim reservatum nihil aliud est, quam quasi quædam hypotheca, quod facili unusquisque, tam ex fine, quam ex effectu assequi poterit conjectura, qua propter etiam venditor non rei vindicationem sed saltem actionem hypothecariam instituere potest. Venditor enim, qui sibi reservavit dominium rei venditæ, sibi saltem hypothecam reservasse censetur *l. 31. §. 8. ff. de edil. Edict. j. l. 22. ff. de hered. vel aet. vend.*

&



& denique considerandum est, quod reservatio domini, quæ in favorem venditoris introducta est, in illius odium detorqueri non debeat *l. 6. C. de LL. vid. BERG. Oeconom. jur. p. 654. & B. MENK. Theor. & Prax. ff. lib. 18. Tit. 3.*

§. XIX.

Nobis hucusque sermo fuit de venditione perfecta, nunc mihi etiam de imperfecta verba facere lubet. Imperfecta autem est emtio venditio, quando purus in rem & pretium consensus nondum interpositus est, i. e. quando non apparet quid, quale, quantumque esse debeat. Quemadmodum vero periculum rei venditæ, emtione venditione perfecta, statim in emtorem transit §. 3. *J. de emt. vend. l. 1. C. de peric. & commod. rei vend.* ita è contrario, emtione imperfecta, transit periculum in Venditorem. Præmissis itaque præmittendis, sequitur periculum rei venditæ in emtione venditione, quæ in scriptis facta est, i. e. ad cuius substantiam vi conventionis contrahentium scriptura requiritur, scriptura nondum consummata, transire in venditorem *pr. J. de emt. vend. B. MENK. Theor. & ff. lib. 18. tit. 6.*

§. XX.

Probe autem secernenda est ab emtione ad corpus sive per aversionem inita: überhaupt, durch den Pausch oder in Bogen emtio venditio ad quantitatem facta. Emtio autem venditio ad corpus sive per aversionem contracta esse videtur, quando principalis ha-

C 3

betur



betur respectus ad corpus, quantitas vero vel nulla, vel obiter, sive demonstrative tantum exprimitur. Hæc, quia statim consensu in rem & pretium interposito perficitur, transfert periculum in emtorem *pr. J. de emt. vend. j. §. 3. J. de emt. vend.* Emtio vero ad mensuram sive quantitatem inita esse censetur e. g. nach dem Anschlage nach der Ruthen-Zahl oder gemessen: quando principaliter & restrictive ad quantitatem, minus principaliter & saltem, demonstrationis gratia ad corpus respicitur. Hæc non ratione pœnitentiæ, sed ratione periculi ante ad mensuram, ad pensionem & numerationem pro imperfecta habetur *a. l. 35. §. 5. 7. ff. b.* Ergo antequam ad mensuram ad pensionem & numerationem subsēcuta fuerit transit periculum in venditorem. *vid. CARPZ. resp. lib. V. Tit. IV. resp. 25. BERG. Oeconom. J. p. 638. MENK. ff. ad Tit. de peric. & commod. rei vend. & ad Tit. de contrab. emt.*

§. XXI.

Quod si autem res vendita, quæ pondere numero & mensura constat emtori a venditore citra ad mensuram, ad pensionem & numerationem tradatur, & ab emtore simpliciter citra protestationem accipiatur, tunc emtio venditio perfecta, & emtor ad mensuram, ad pensionem, & sic porro renunciasse censetur *a. l. 2. C. de peric. & commod. rei vend.* Qui enim patitur id fieri quod prohiberi potest & debet, nisi velit pro consentiente haberi, mandare videtur *l. 18. l. 6. §. 2. ff. mandat. j. Civ. 43. de R. J. 6.* Pariter etiam venditor, si per  
emto-



emtorem steterit, quo minus ad mensio suscipiatur, periculum rei venditæ a se declinat. Emtor enim tam in mora quam in culpa versatur, quarum effectus est, ut periculum transferatur in debitorem morosum & culposum. *l. 20. ff. de V. O. l. 12. §. f. ff. depos. l. 23. in f. ff. de R. J. vid. B. MENK. ff. lib. 18. tit. 6. BERG. Oecon. p. 640.*

## §. XXII.

Sed! nunc alia exsurgit quæstio: in quemnam nimirum transeat periculum, si decem oves è grege venditæ fuerint, & postea univèrsus grex ante numerationem perierit! Et mihi statuendum esse videtur, periculum ovium transire in venditorem, ratio, quia in hoc casu emtio antè adnumerationem pro imperfecta habetur, nec obstat *l. 35. §. 6. de contrab. emt.* quippe quæ de eo saltem casu, si grex univèrsaliter uno pretio venierit, non vero de hocce casu, si singula corpora certo pretio venierint, loquitur vid. BERG. *resolut. LL. Lauterb. obst. p. 351.*

## §. XXIII.

Emtioni venditioni imperfectæ proxime accedit venditio certi generis, individuo non demonstrato, e. g. Titius vendit Cajo ex centum trabibus decem, quæ a venditore neque descriptæ, neque ab emtore signatæ sunt. Quodsi itaque decem ex centum trabibus venditæ postea furto auferantur, emtor a periculo immunis est. Emtio enim venditio certi generis individuo

duo



duo non demonstrato imperfecta esse censetur *a. l. 11. C. de R. C.* ratio quia purus in rem deficit consensus, modo non accesserit signatio, quippe quæ vice traditionis est, & periculum in emtorem transfert *l. 14. §. 1. ff. j. l. 15. ff. de peric. rei vend.* Tale quoque iudicium de emtione rei alternativa, utpote quæ ante electionem imperfecta est, & periculum in venditorem transfert, ferendum est. Præsupponamus itaque quod Titius Caji arbitrio relinquat, quodnam ex duobus argenteis vasis pro viginti thaleris emere velit. Uno itaque ex duobus ante electionem furto ablato, quod super est, dandum est emtori. Quod si vero utraque furto auferantur, pretium pro posteriore venditori ab emtore est solvendum, ex quibus ergo satis superque apparet periculum prioris ad venditorem posterioris vero ad emtorem redundare. *l. 34. §. 6. ff. de contrab. emt. MENK. Synops. ff. ad tit. de peric. & commod. rei vend.*

§. XXIV.

In venditione rerum, quarum bonitas per gustum cognoscitur, ut vinum, pertinet periculum bonitatis ante degustationem ad venditorem *l. 34. §. 5. j. l. 15. ff. de peric. & commod. rei vend.* ex ea ratione, quia hæc venditio, donec subsecuta fuerit degustatio, pro imperfecta habetur. Degustationi autem vel dies certus a venditore præfigitur, vel non præfigitur. Quod si itaque dies certus degustationi præfixus sit, & emtor intra diem præfinitum, nulla culpa morave venditoris inter-

inter-



intercedente vinum e. g. non degustaverit, spectat periculum bonitatis ad emtorem *a. l. 4. ff. de peric. & commod. rei vend.* ex ea ratione, quia emtor, die degustationis elapso, versatur in mora, de cujus effectu jam in §. 9. ad quem B. L. remitto, mentionem feci. Die vero degustationi non præfixo, emtor vinum venditum quocumque degustare poterit, *l. 4. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vend. j. l. 15. ff. eod.* adeoque etiam ante degustationem a periculo bonitatis immunis est. An autem venditor dolio, in quo vinum continetur, ab emtore signato, periculum bonitatis ferre teneatur haud incongrue quæritur? Et mihi affirmativa sententia amplectenda esse videtur, ex ea ratione, quia signatio ad eum saltem effectum, ne dolium commutetur, facta esse videtur *l. 1. §. 2. ff. de peric. & commod. rei vend.* vid. MENK. *Theor. & Prax. ff. ad tit. de peric. & Commod. rei vend.*

§. XXV.

Dominium jure Civ. sola transferri posse traditione, nemini, qui principia juris Civ. quasi per transennam adspexit, haud incognitum erit. Quemadmodum vero dominium per traditionem, nisi affectus tradentis in transferendo dominio cum affectu accipientis in acquirendo dominio concurrat, transferri nequit *l. 55. ff. de O. & A.* ita quoque, ut traditio, si per illam dominium acquiri debeat, sit vestita, requiritur, i. e. ut res ab eo, qui jus & animum ejus transferendæ habet, ex causa ad dominum transferendum habili, in

D

ac-



accipientem transferatur. §. 40. *J. de R. D. l. 55. ff. de O. & A.* Jure vero Sax. El. sola traditio ad dominium rerum immobilium transferendum non sufficit, sed adhuc aliæ requiruntur solennitates, nimirum ut venditor suum dominium in manus magistratus, ratione rei sitæ competentis resignet, & eum in quem dominium transferendum est, de novo investiendum curet, *Dec. El. 61. & B. MENK. J. lib. 2. Tit. 1. ejusdemque ff. lib. 19. Tit. 1.*

§. XXVI.

Ex hisce itaque sequi videtur: periculum rei venditæ, ante resignationem & investituram judicialem transire in venditorem. Sed! hæc omnia ad emptorem a periculo rei venditæ liberandum haud sufficient. Juris enim notissimi est periculum rei venditæ, emtione venditione perfecta, licet non accesserit traditio, ad emptorem redundare. §. 3. *J. de contrab. emt. l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. ex ea ratione, quia emptor, qui nimirum, antequam contractum ex sua parte adimpleverit, adversus venditorem cum effectu agere nequit §. 41. J. de R. D., se ipsum constituit in mora solvendi.* Præsuppositis itaque hisce sequitur quoque regulam: Quælibet res perit suo domino, quæ nobis objici possit, in hoc casu non posse applicari, sed periculum rei venditæ ante resignationem & investituram judicialem in emptorem transire. Jura enim statutaria, a jure communi exorbitantia, strictissimæ sunt interpretationis c. 8. X. de

de



*de consuetud.* Deinde distinguendum est inter perfectionem & consummationem sive adimplementum contractus emt. vend. Ad perfectionem emtionis venditionis, quam *alleg. Dec. El. 61.* non impedit, requiritur purus consensus, in rem & pretium interpositus, neutiquam vero traditio & præter eam *Jur. Sax. El. resignatio & investitura judicialis*, quippequæ ad consummationem sive adimplementum saltem emtionis venditionis requiritur. Et denique considerandum venit, quod venditor ante resignationem & investituram judicialem sit certæ speciei debitor, qui ejus interitu liberatur. *l. 22. l. 23. l. 83. §. 7. ff. ad L. falcid. l. 18. in f. ff. de dol. mal. vid. B. MENK. Synops. F. lib. 3. Tit. 24. § MOLLENB. Thesaur. Jur. civ. in not. ad Tit. de peric. § commod. rei vend. § quid not. 7. vid. BERG. resolut. LL. obst. p. 347.*

§. XXVII.

Quodsi vero venditor emtori fidem de pretio habuerit, vel emtor, contractum ex sua parte adimpleverit, adeoque venditorem, pretio soluto rem venditam non tradentem, in mora tradendi constituerit, tunc statuendum esse judico, quod periculum rei venditæ transeat in venditorem, ex ea ratione, quia venditor, quippe qui, simul ac pretium ab emtore est solutum, rem venditam tradere tenetur, versatur in mora, cujus effectus est ut periculum transferatur in debitorem morosum, *d. §. 41. F. de R. D. vid. BERG. resolut. LL.*



*LL. obst. p. 347.* Ut autem L. B. ea, quæ Tibi loco dissertationis inauguralis sistere volui, æque bonique consulas & sphalmata typographica, si quædam irrepserint, in bonam partem capias, est quod enixe rogo atque obsecro. DEO vero T. O. M. pro præstito auxilio humillimas persolvo grates, eumque ardentissimis precibus, ut in posterum clementia sua mihi adesse haud desistat, rogo atque contendo.









